



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

24 Indefinita dispositio aequipollet unversali.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

laicum cognoscit, cuius cognitio ad eum pertineat; post decretas canonicas censuras, ipsisque minimè sufficientibus, tunc auxilium à sæculari iudice sit implorandum, quasi non alia sit adversus laicos iudici ecclesiastico permessa coercendi potestas, ut per Covar. qui alios citat in *lib. pract. quest. d. 6. 10. nu. 2. post princ.* Quoniam iudicibus ecclesiasticis est prohibita relaxatio censurarum, nisi, postquam sibi constiterit executionem realem, & personalem fieri non posse, ut inolevit stylus Romanæ Curie per totum orbem receptus, hodie servata ejusdem decreti Concilii forma allegata per Covar. *d. n. 2.* sunt per hoc jus novum reformata, & iudices ecclesiastici primò ad realem, vel personalem, & postremò ad censuras ecclesiasticas in juris subsidium procedere debent, & excommunicatio non, nisi in subsidium profertur, quia, excommunicatione ¶ nulla major pœna in Ecclesia Dei reperitur, dum spiritualia tractat. *cap. corripitur. 2. 4. q. 3.* & Abb. in *cap. cum dilectus. 2. 4. nu. 6. de hinc, qua vi, metusve cau.* Ideo ea sobriè, & magna cum circumspectione est relaxanda, Conc. Trid. in *d. cap. 3. in princip.* Cùm enim ecclesiasticus iudex, dictâ formâ servatâ, possit in subsidium ad excommunicationem procedere, ergo primò ad executionem realem, & personalem; quia concessio uno, censentur concessa omnia ea, per quæ pervenitur ad illud, *l. ad rem mobilem, & l. ad legatum, ff. de procur. cum aliis supra allegatis.*

Secundò, quòd Episcopi possint habere ¶ te familiam armatam, faciunt verba Concilii satis clara, ibi, contra quoscunque etiam laicos per multas pecuniarias &c. seu per captionem pignorum, personarumq;

distinctionem per suos proprios, aut alienos exequutores, *ut in eod. cap. 3. §. in causis verò.* Unde, si per suos exequutores ad captionem personarum procedere possunt, ideo, quòd familiam armatam habere possint, est faciendum, arguendo à concessione consequentis, *ut in c. cum infirmitas, de pœnit. & remiss.* cum vulg. tum, & familia contra laicos, qui, verbis expressis ejusdem Concilii, ibi contra quoscunque etiam laicos, sunt comprehensi, uti possunt, *ut in eod. §. in causis, idq; tam in eriminalibus, quàm civilibus, ut in §. in causis quoque, eod. c. 3. & c. 2. de adult. cap. gaudemus, de convers. conjugat. cap. attendendum, 17. qu. 4.* & alia jura supra in ver. primò, quòd Episcopo, allegata procedunt, & habent locum non solum contra clericos, sed etiam contra laicos, quia loquuntur generaliter de servis, & liberis, ideo generaliter etiam de laicis intelligi debeat, *l. 1. §. quòd autem, ff. de ale. luf. & aleat.* Bart. in *l. si pluribus, ff. de leg. 1.* ubi quòd in dispositione legali ¶ indefinita æquipollet universali, & Alciat in *c. 1. n. 7. & seq. nu. 14 & seq. de offic. ord.* & post longas, & arduas disputationes coram Pio V. habitas, scribentibus hinc inde quamplurimis præstantissimis advocatis, quòd Episcopis liceat habere familiam armatam, fuit decisum, & postea præcipuè in Italia observatum, quia, cùm verba sacri Concilii Trid. sint satis clara, per decretum ejusdem Concilii omnia in contrarium facientia fuerunt reformata; cùm fuerit non solum ¶ auctoritate Pontificis dictum Concilium celebratum, ad quem solum spectat illud indicere, & dirigere, *ut in Bull. resumpt. Concil. Trid. sess. 10.* si ad idem Concilium vocati fuerunt, & ei inter-